

Aliam parabolam apposuit eis dicens. Simile factum est regnum caelorum homini seminanti bonum semen in agro eius. Cum dormiret autem ipse, uenit eius inimicus, et seminauit zizania in medio frumenti, et abiit. Quando autem germinauit faenum, et fructum fecit, tunc apparuerunt et zizania. Accedentes autem serui domus dominatoris, dixerunt ei, domine, nonne bonum semen seminasti in agro? Vnde igitur habes zizania, ipse autem dixit eis. Inimicus homo hoc fecit. Ipsi autem dicunt ei. Vis igitur abeuntes colligemus ea? Ipse autem dicit, non. Ne quando colligentes zizania eradicetis simul cum eis frumentum. Dimittite augeri utraque usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus, colligite primum zizania, et ligate ea fasciculis, ad comburendum frumentum autem congregate in apothecam.

Commented [ND1]: [fol.152vb]

Commented [ND2]: uel tum est *add. super lin.*

Commented [ND3]: [fol.153ra]

Commented [ND4]: uel horreum *add. super lin.*

Quid est medium hac, et ea quae ante hac parabola? Illic eos qui neque uniuersaliter attendebant ei, ait. Sed eos qui resilibant, et semen mittebant. Hic autem, hereticorum cetum dicit. Vt enim neque in hoc discipuli tumultum patiantur, et hoc predicit, postquam docuit eos propter quid in parabolis loquitur. Illa ergo parabola ait, quoniam non susceperunt. Haec autem, quoniam et corruptorem susceperunt. Etenim hoc diaboli est machinationis, ueritati semper interserere errorem, multas colorantes ei similitudines, ut facile furetur eos qui habiles sunt ad decipiendum. Propter hoc non aliud aliquod semen, sed zizania uocat quod secundum uisum assimilatur quodam modo frumento. Deinde dicit et modum insidiarum. Cum dormirent enim homines ait. Non paruum regentibus hinc precipitii periculum immittitur, quibus maxime custodia areae credita est. Non autem regentibus solum, sed et his qui reguntur. Monstrat autem errorem, post ueritatem existentem, quod et rerum exitus contestatur. Etenim post prophetas pseudo prophetas, et post apostolos pseudo apostoli, et post christum antichristus. Nisi enim uiderit quid imitetur diabolus, uel quibus insidietur, neque temptat neque nouit. Et nunc igitur quia sciuit, quoniam hic quidem, fecit centum, ille autem, sexaginta, ille autem triginta, alia iam uadit uia. Quia enim rapere non potuit quod radicatum erat, neque suffocare, neque diluuiio perdere, per aliam deceptionem insidiatur interserens ea quae sunt sui ipsius. Et quid differunt qui dormiunt ait, ab his qui imitantur uiam? quoniam illic confestim rapuit. Neque enim radicari dimisit, hic autem ampliori indignuit machinatione, et euulsione. Haec autem dicit christus, erudiens semper uigilare. Etsi enim illas effugeris iacturas ait, est et alia iactura. Sicut enim illic peruiam, et petram, et spinas, ita et hic per somnum perditio sit, quare continua custodia opus est. Ideoque dixit, qui autem perseuerauerit usque in finem, hic saluabitur. Tale quid factum est et in principio. Multi denique prelatorum perniciosos inducentes uiros in ecclesias, heresiachas occultos, multam facilitatem talibus insidiis prebuerunt. Neque enim labore opus iam est diabolo, cum illos in medium plantauerit. Et qualiter possibile est non dormire ait? Naturale quidem somnum, non possibile set electionis autem, possibile est. Ideoque paulus dixit. Vigilate, state infide. Deinde monstrat, et superfluam hanc rem esse non nocuam solum. Postquam enim agriculturam imposuit areae, et nullo opus erat, tunc super seminat hic, sicut heretici faciunt. Propter nichil enim aliud quam propter uanam gloriam, immittunt suum uenenum. Non hinc autem solum, sed ex posterioribus cum diligentia eorum uniuersam subscribit scenam. Quando enim germinauit ait foenum et fructum fecit, tunc apparuerunt zizania, quod et hii faciunt. In principio enim

Commented [ND5]: sermonem *add. super lin.*

Commented [ND6]: sermonem *add. super lin.*

Commented [ND7]: uel desere *add. super lin.*

Commented [ND8]: [fol.153rb]

Commented [ND9]: uel consilii *add. super lin.*

Commented [ND10]: uel tum est *add. super lin.*

obumbrant seipsos. Cum autem multam acceperint liberam propalationem, et sermone aliquis cum eis participauerit, tunc uenenum effundunt. Cur autem inducit seruos dicentes, id quod factum est? ut dicat quoniam non oportet interficere eos. Inimicum autem hominem eum uocat, propter iacturam quae est ad homines. Vexatio enim, aduersum nos est. Principium autem uexationis, non ab inimicitia quae est ad nos, sed quae est ad eum, factum est. Vnde manifestum est quoniam magis deus nos diligit quam nos ipsos. Vide autem et aliunde diaboli malignitatem. Non enim ante hoc seminauit, quia nichil habebat perdere. Sed quando erant uniuersa completa, ut studio officiat agricolae, ita ad illum inimicabiliter habens, omnia faciebat. Intuere autem et famulorum dilectionem. Etenim festinant iam zizania euellere, etsi non perspecte faciunt. Quod monstrat eorum de semine sollicitudinem, et ad unum solum inspicientes, non ut ille det uindictam, sed ut ea quae summissa sunt, non pereant, sed non hoc ait est quod festinare facit. Ideoque ut egritudinem eiciant, interim perspiciunt, et neque hoc simpliciter querunt, non enim sibi ipsis hoc committunt, sed dominatoris consilium expectant dicentes. Vis? Quid igitur dominator? Prohibet dicens, nonne quando eradicetis simul cum eis frumentum. Hoc autem dixit, prohibens prelia, et sanguines, et occisiones fieri. Neque enim oportet interficere hereticum. Quia prelium inexplabile in orbem terrarum induceretur. Duobus itaque his eos detinet cogitationibus. Vna quidem ut non frumentum iacturam accipiat, alia autem quia poenam accipient omnino ipsi, incurabilibus ego tantes, quare si uis et puniri eos et sine frumenti iactura, expecta dicens tempus. Quid autem est ne eradicetis simul cum ipsis frumentum? Aut hoc ait, quoniam si moueritis arma, et occideritis hereticos, necesse multos et sanctorum simul summitti. Aut quoniam ab ipsis zizaniis, multos decens est transmutari, et effici frumentum. Si itaque presumentes eos eradicaueritis, officitis ei, qui efficiendus est frumentum, eos quos possibile est transmutari et effici meliores, interficientes. Non igitur detinere hereticos et oppilare, et abscidere liberam eorum propalationem, et synodos, et studia dissoluere prohibet, sed interficere et occidere. Tu autem intuere eius mansuetudinem, qualiter non uetat solum neque prohibet, sed et cogitationes ponit. Quid igitur? expectat usque in finem zizania. Tunc dicam messoribus colligite primum zizania, et ligate ea fasciculis, ad comburendum ea. Rursus eos rememorat iohannis sermonum, iudicem eum inducentium, et ait, quoniam donec quidem stant prope frumentum, ignoscere oportet. Possibile enim est et frumentum eos effici. Cum autem nichil lucrantes abierunt, tunc eos necessario ineuitabilis suscipiet uindicta. Dicam enim messoribus ait, colligite primum zizania. Propter quid primum? ut non timeant hii quasi simul cum eis abducto frumento, et ligate fasciculis, ut comburantur ea. Frumentum autem congregate in apothecam. Aliam parabolam posuis eis dicens. Simile est regnum caelorum grano sinapis. Quia enim dixit, quoniam de semine tres partes pereunt, et saluatur una, et in ipsa rursus quae saluatur, tanta efficitur iactura, ut non dicant, et qui erunt, et quanti fideles, et hunc aufert timorem per parabolam sinapis, inducens in fidem eos, et ostendens quoniam omnino extendetur predicatio. Propter hoc, oleris huius imaginem, in medium induxit, ualde similem huic conditioni, quod magis paruum quid ait est omnibus seminibus. Cum autem auctum fuerit, maius oleribus est et sit arbor, ut ueniant uolucres caeli, et habitent in ramis eius. Magnitudinis enim coniecturam ostendere uoluit. Ita utique et in predicatione erit ait. Etenim uniuersis erant imbecilliores discipuli, et omnibus minores. Sed tamen quia magna erat uirtus quae erat in eis, expansa est ubique orbis terrarum. Deinde et fermentum huic apponit imagini dicens. Simile est regnum caelorum fermento, quod accipiens mulier abscondit in farmae sata tria, donec fermentatum est totum. Quemadmodum id enim multam farinam transmutat in sui ipsius uirtutem, ita et uos, totum mundum transmutabitis, et uide prudentiam. Ea enim quae sunt naturae, inducit, monstrans quoniam sicut illa, non contingibile est non fieri, ita et haec. Ne enim michi dicas quoniam poterimus duodecim homines

Commented [ND11]: [fol.153va]

Commented [ND12]: [fol.153vb]

Commented [ND13]: cause add. super lin.

Commented [ND14]: uel minus add. super lin.

Commented [ND15]: uel omnem add. super lin.

Commented [ND16]: uel impossibile add. super lin.

in multitudinem incidentes tantam? Etenim hoc ipsum maxime uestram facit uirtutem fulgere id est misceri multitudini et non fugere. Sicut enim et frementum, totam massam fermentat, cum prope farinam fuerit, et non simpliciter prope, sed ita ut et misceatur. Non enim dixit posuit simpliciter, sed abscondit, ita et uos, cum conglutinati fueritis et uniti impugnantibus uos, tunc eos superabitis. Et quemadmodum illud suffoditur quidem, non destruitur autem, sed et paulatim ad suum habitum omnia transmutat, hoc modo et in predicatione ista, continget. Ne itaque quia multas dixi esse uexationes, timeatis. Etenim et ita fulgebitis, et omnes superabitis. **Tria** autem sata hic, multa dixit. Nouit enim numerum hunc de multitudine accipere. Ne mireris autem si de regno disputans, grani, et fermenti meminit. Hominibus enim loquebatur, inexpertis et idiotis, et indigentibus ab his induci. Ita enim erant rustici, ut et post haec omnia indiguerint interpretatione multa. Vbi nunc **grecorum pueri** sunt, discant christi uirtutem, uidentes rerum ueritatem. Et utrinque eum adorent, quoniam et predixit rem tantam, et compleuit. Etenim ipse est qui uirtutem hanc imposuit fermento. Propter hoc et miscuit multitudini eos qui ei credebant, ut demus aliis de nostra prudentia. Nullus igitur paucitatem causetur.

**Multa** enim predicationis est uirtus. Et quod fermentatum est semel, fermentatum sit reliquo, rursus. Et quemadmodum ignis cum assumpserit ligna, quae iam combusta sunt, faciens flammae aditamentum, ita aliis superuenit, ita utique et predicatio, sed non dixit ignem, sed fermentum. **Quid** utique? quoniam non **ignis** est illic, id totum, sed et accensorum lignorum, hic autem id totum fermentum operatur per seipsum. Si autem homines duodecim orbem terrarum uniuersum fermentauerunt, excogita quanta nostra est malitia cum tanti existentes eos qui reguntur, non possumus corrigere, quos decemmilibus mundis oportebat sufficere, et effici fermentum. Sed illi ait, apostoli erant. Et quid hoc, nonne eisdem tecum participauerunt, non in ciuitatibus nutriti sunt? nonne eisdem potiti sunt? non artes tractauerunt? numquid angeli fuerunt? numquid de caelo descenderunt? Sed signa ait habebant, non signa mirabiles eos fecerunt. Vsque quando preuelaminibus utemur nostrae disidiae, miraculis illis? Multi enim et demones prohibentes, quia iniquitatem operati sunt, non facti sunt mirabiles, sed et puniti sunt. Et quid umquam est id quod magnos eos ostendit ait? pecuniarum contemptus, gloriae **despectus**, ab omnibus uitae huius negotiis ereptio. Quia si non haec habuissent, sed serui passionum essent, etsi decem **mille** suscita assent, non solum nulli profecissent, sed et seductores utique estimati essent esse, ita uita est quae ubique fulget, et spiritus attrahit gratiam. Quale signum iohannes fecit, et **cum** ciuitates erudiuit? Quoniam enim nulla miracula fecit, audi euangelistam dicentem. Quoniam iohannes quidem signum nullum fecit. Vnde mirabilis elias factus est? nonne a libera ad regem propalatione? nonne a zelo quierat ad deum? nonne a repudiatione possessionum? nonne a melote et spelunca, et montibus? Signa enim uniuersa, postea fecit? Iob autem quale signum uidens facientem diabolus, ammiratus est? signum quidem nullum, uitam autem fulgentem, et perseuerantiam adamantis solidiorem demonstrantem. Quale signum dauid fecit, adhuc iuuenis existens, ut deus diceret. Inueni dauid filium iessae, uirum secundum cor meum. Abraham autem et isaac, et iacob, qualem mortuum suscitauerunt, qualem leprosum mundauerunt? Non nouisti quoniam signa si non uigilauerimus, et obsunt multotiens? Ita denique et multi corinthiorum scissi sunt ab inuicem. Ita multi romanorum in **diffidentiam** uenerunt. Ita symon proiectus est. Ita qui christum tunc concupiuit sequi, reprobatus est. Audiens quoniam uulpes foueas habent. Horum enim unusquisque hoc quid, pecunias, hic autem gloriam quae est a signis concupiscens, ceciderunt, et perierunt. Vitae autem diligentia, et uirtutis cupido, non solum non **generat** talem concupiscentiam, sed et existentem interficit. Sed et ipse quando legislationem ferebat suis discipulis quid dixit? Facite signa, ut uideant homines? nequaquam. Sed quid? Luceat lumen

**Commented [ND17]:** [fol.154ra]

**Commented [ND18]:** gentilium filii *add. super lin.*

**Commented [ND19]:** Morale xlvi. quoniam non oportet signa inquirere sed conuersationem uirtuosam demonstrare, et amorem ad proximum. Etenim multi sanctorum non accipientes signa electi sunt a deo, et multi accipientes signa perierunt *notum in marg.*

**Commented [ND20]:** *cur add. super lin.*

**Commented [ND21]:** operatio *add. super lin.*

**Commented [ND22]:** uel despectio *add. super lin.*

**Commented [ND23]:** [fol.154rb]

**Commented [ND24]:** uel quoniam *add. super lin.*

**Commented [ND25]:** uel non noti sunt *add. super lin.*

**Commented [ND26]:** parit *add. super lin.*

uestrum coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, et glorificent patrem uestrum, qui in celis est. Sed et petro non dixit, si amas me fac signa, sed pasce oues meas. Sed et ubique eum prehonrans aliis, cum iacobo et iohanne, unde dic michi prehonorabat? a signis? Et denique omnes similiter leprosos mundabant, et omnes mortuos suscitabant, et omnibus similiter potestatem dedit. Vnde igitur hii honorem amplioem habuerunt? a uirtute que est secundum animam. Vides quoniam omnimo uita est opus, et demonstratione quae est per opera? a fructibus eorum recognoscetis eos. Quid autem uitam nostram constituit? Numquid signorum ostensio, uel conuersationis optimae diligentia? Manifestum, quoniam hoc secundum. Signa autem, et occasiones hinc habent, finis, et in hoc sinit. Qui enim uitam optimam ostendit, attrahit hanc gratiam. Et qui accipit hanc gratiam, propter hoc accipit, ut aliorum corrigat uitam. Quia et christus propter hoc miracula illa faciebat, ut dignus fide hinc apparens, et ad seipsum attrahens, uirtutem in hanc uitam inducat. Ideoque amplius pro hac facit studium. Neque enim insignis suffecit solis, sed et gehennam minatur, et regnum promittit, et inopinabiles illas ponit leges, et omnia pro hac negotiatur, ut aequales angelis operetur. Et quid dico quoniam christus omnia propter hanc facit. Tibi enim si aliquis daret dic michi electionem, mortuum suscitare in nomine eius, uel propter nomen eius mori? quid utique magis susciperes, nonne manifestum quoniam quod secundum est? Et nimirum hoc quidem, signum est hoc autem, opus. Quid autem si quis tibi preponeret facere faenum aurum, uel posse omnes pecunias ut fenum contempnere? Non utique hoc susciperes magis? et ualde decenter. Etenim homines hoc utique maxime attraxisset. Si enim uiderent faenum aurum effici, et concupiscerent et ipsi accipere hanc uirtutem, sicut simon, et augetur utique eis pecuniarum cupido. Si autem uiderent ut faenum aurum omnes despicientes, olim utique ab egritudine hac eruti essent. Vides quoniam uita magis proficere potest? Vitam autem dico nunc, non ut ieiunes, non ut saccum et cinerem substernas. Sed si pecunias despicias, ut despiciere oportet. Si amator hominum fueris, et esurienti serua ueris panem tuum. Si iram continebis, si uanam gloriam proieceris, ei emulationem destruxeris. Ita et ipse erudiuit. Discite enim ait a me, quoniam mitis sum. Non dixit quoniam ieiunauit, quamuis habebat dicere quadragnita dies. Sed non dicit hoc, sed quoniam mitis sum et humilis corde. Et rursus mittens eos non dixit ieiunate, sed omne quod apponitur uobis, comedite. Pecuniarum que gratia multam ex petiit diligentiam dicens, me possideatis aurum, neque argentum, neque aes, in zonis uestris. Haec autem dico non ieiunium uituperans. Absit, sed et ualde laudans. Doleo autem cum aliis neglectis, hoc estimetis sufficere ad salutem uobis, ultimam chori uirtutis habens partem. Quod maximum enim est amor, et mansuetudo, et elemosina, et uirginitatem super excesserunt. Quare si uis effici apostolorum aequalis, nichil est quod prohibeat. Sufficit enim uirtute participantium solum, nichil minus illis habere. Nullus itaque ad signa retardet. Dolet enim cum exierit a corpore demon, multo autem amplius cum a peccato erutam uiderit animam. Etenim hoc est magna uirtus eius. Propter hoc mortuus est christus ut hoc dissoluat. Etenim hoc mortem induxit, propter hoc quae superius erant, inferius facta sunt. Si igitur hoc destruxeris, abscidisti diaboli neruos, contriuiisti eius caput, dissoluisti eius uirtutem, omnem eius euulsisti exercitum, omnibus signis ostendisti signum maius, non meus hic est sermo, sed beati pauli. Dicens enim zelamini charismata spiritualia, et adhuc secundum superhabundantiam uiam uobis ostendo, non induxit signa, sed amorem qui omnium bonorum est radix. Si itaque hunc didicerimus, et uniuersam philosophiam quae ex hoc est nichil indigebimus signis. Quemadmodum si non didicerimus, nichil lucratur a signis. Haec igitur uniuersa scientes, ab his quibus facti sunt apostoli magni, haec zelemur. Vnde igitur facti sunt apostoli magni? Audi petrum dicentem. Ecce nos dereliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Audi et christum dicentem eis. Super duodecim thronos sedebitis, et quoniam omnis quicumque dimiserit domum

**Commented [ND27]:** preponens add. super lin.

**Commented [ND28]:** uel mundauerunt add. super lin.

**Commented [ND29]:** uel suscitauerunt add. super lin.

**Commented [ND30]:** [fol.154va]

**Commented [ND31]:** uel statuit add. super lin.

**Commented [ND32]:** uita add. super lin.

**Commented [ND33]:** [fol.154vb]

**Commented [ND34]:** caritas add. super lin.

**Commented [ND35]:** uel uirtutem add. super lin.

**Commented [ND36]:** uel pertranseunt add. super lin.

**Commented [ND37]:** caritatem add. super lin.

**Commented [ND38]:** [fol.155ra]

uel fratres, uel patrem, uel matrem, centuplum accipiet, et uitam aeternam hereditabit. Ab uniuersis itaque nosmet ipsos desistentes uitae huius negotiis, ~~apponamus~~ nosmet ipsos christo, ut apostolorum efficiamur equales, secundum enuntiationem eius, et aeterna uita potiamur. Qua fiat omnes nos frui, gratia et philanthropia id est amore hominum domini nostri ihesu christi, cum quo patri simul cum spiritu sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper et in secula seculorum amen.

**Commented [ND39]:** uel recondemus *add. super lin.*